

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Joh. Jonstoni Thaumatographia Naturalis

Jonston, Jan

Amstelodami, 1661

Caput XXII

urn:nbn:de:bsz:31-97032

obtinuit à Deo, ut, quam herbam sagitta in aërem emissa, tangeret delapsa, remedium illa esset malo. Cedit in Cruciatam, & ejus usū fugata è regione pestis. Hæc ita dicuntur. *Camerar. Centur. 3. memorab. f. 23.*

CAPUT XXII.

DE GENISTA, GUAO, GIN-
GIBERE, HYPERICO
& HYOSCIAMO.

TRIBUS à *Genista* sede pedibus, uno mense, ante & post Calendas Iunii rapum quoddam invenitur, unius cubiti altitudinis, locis saxosis & arenosis. Si contundatur, & succus expressus, qui vino limpido est similis, totius anni spacio in vitrea recondatur lagena, generosi contra pestem remedii munus obtinet. *Guao* Mexicanis Tlatlatian dicta, arbor est folia rubra, villosa, & nunquam decidentia ferens. Succus ejus adeo causticus, ut animalia & homines si sub illa dormiant, pilorum faciant jacturam. Fabrorum qui illam contrectant, manus & ora ita inflantur, ut multis diebus non detumescant. *Cimicibus* etiam infesta esse dicitur. *De Laet lib. 1. America cap. 1.* *Gingiber* radix est, quæ geniculatis reptit internodiis, foliis arundinaceis, quæ bis terve in anno revirescant. *Mathiol. lib. 2. cap. 154.* Est nonnihil in sapore discriminis, cum præcox eruitur. Oportunum demetendi tempus, cum radix inaurierit, alioquin & cariei & terebini obnoxium. *Hyperici* & semini & floribus mira ad vulnera sananda facultas: præter ea, quæ in capite. Adeo illud odiſſe Dæmones scribunt, ut ejus suffici statim avolent. Superstitiosum puto, Idem de *Helyne* dicitur, in recentibus præsertim vulneribus. Recens semiconclusa vulneri si adalligetur, & tertio solvatur die, non erit alio medicamento opus. *Math. in lib. 4. cap. 81.* *Hyosciamus* mentem cum quadam verborum altercatione abalienat. Hinc nomen Alterci. Idque

tam verum, ut folia coēta colo exulcerato infernē infusa, producant eandem. In Ananiae vallis montibus, pueros qui hyosciamī semen comedenter, adeō desipientes vident Mathiolus ut parentes à Cacodæmonibus eos vexari crederent.

C A P U T X X I I I . DE HELENIO, HELIO- tropio, & Hiuca.

Helenium stirps est, annua hominis staturam supētans, viginti aliquando pedes & quatuor, sex ex quo terrae semen mandatum est mensibus, attollitur. Caulis fastigio capitulum quod strobilo simile, rotundius modo & latius insidet, quodque ingentis disci amplitudine in florem explicatur magnum. Bauhin. ad l. 4. Diosc. c. 182. Medius enim discus nonnunquam sesquipedem excedit, & foliis oblongis aurei coloris ceu radiis solatis orbiculariter cinguit, media purpurascente planicie. Semen in disci alveolis dispositum est, cortice obdūctum nigro, medulla dulci. Eius tanta copia, ut aliquando ultra mille in uno disco reperias: Sunt, qui teñeros foliorum pediculos pilis derasis, in craticula coctos, sale, oleo, & aromatibus condunt, palato carduis gratiore. Cum Sole in Orientem modo, modo convertitur in Occasum & quidem mirabiliter. Ad ejus enim ortum quasi præterientia capite nutans reclinatur, & cum surrexit, consistit, Solem semper respiciendo, & ad ejus radices se plurimum pandens, donec Sol occidat. *Heliotropio* formicæ necantur, obturatis ea illarum foraminibus. Scorpionis cavernula si ejus circumscribatur succo, nunquam egreditur foras; herbam si imposueris, emotitur. Mathiol. ad lib. 4. c. 186. *Hiuca* humanæ coxa compleat crassitudinem. Cum Sole se circumagit etiam nubilo die; noctu velut desiderio contrahitur. Plin. l. 22. c. 21. Redigunt eam in pollinem, pumicum aut cotium attritu; tum indunt in manicam aquam.